

Præcipitat, stupidisque necem mortalibus atram
 Ingerit, atque ipsa graviores morte labores.
 Illo Augurellum me tempore tutus habebat
 Adriacus bachante sinus per cuncta furore
 Barbarico, magnæ vel cum primoribus Urbis
 Versantem, aut studiis Musarum multa vacantem,
 Carmina qui fidibus jam pridem aptare canoris:
 Tum doctos salibus sermones spargere puris
 Tentavi, & demum jam relictos ausus Iambos
 Edere nunc lusi somno velut excitus arcto,
 Qua data porta inter geminas, quæ somnia servant:
 Cornea nec nobis patuit, nec prorsus eburna
 Emissus cecini falsis insomnia verbis.

Chrysopeiæ finis.

IOANNIS AVRELII AVGVRELLI
 ad Petrum Lipomanum Hieronymi F. Venetum
 P. Geronticon.

LIBER I.

Sunt cordi Musæ nobis, sunt carmina curæ,
 Cætera, quæ vacuam tenuissent gaudia mentem,
 Omnia nunc semota, refert hæc una voluptas,
 Quicquid dulce olim sensu percepimus omni.
 His ergo hæc grati secretam ponimus aram,
 Hic Hederæ & Lauri, nec non & amœna vireta
 Apricos inter colles, hic Myrtea sylva,
 Et Veneri sacer est lucus, nec grata Lyæo
 Mitis abest, pendet quæ spissis uva racemis.
 In primis sternenda mihi est auro area multo:
 Tum cœptæ è solido surgent Adamante columnæ,
 Queis altè supra impositum consistere tectum
 In tituam gemmis ornatum grandibus, atque
 Æternis deæsi vinctum compagibus æris,
 Iam quibus inter se nexis non ulla vetustas
 Offuerit, quanquam validis conatibus obstet.
 Stabunt in medio Divæ, templumque tenebunt.
 His ego dehinc cœtu vatū comitatus honesto,
 Dona feram, non quæ vulgo consuevimus illis
 Offerre, aut rerum prorsus rarissima quæque

3. Vol.

Q